Methodus

PRAECAVENDAE CVRANDAEQVE PESTIS

OLIM IN ACADEMIA INGOLSTADIANA

AD DISPVTANDVM PROPOSITA

Nunc denuò recognita

A WOLFGANGO HOEVERO, MEDICO DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO

Ad vſum Academicum & Politicum.



INGOLSTADII,

Ex Typographeo GREGORII HÆNLINI.

Anno M. DC. XXXIV.

NOBILISSIMAE CIVITATIS INGOLSTADIANAE

CONSVLIBVS ET SENATORIBVS
PRVDENTISSIMIS

PATRONIS SVIS PERBENIGNIS

PRAECAVENDAE CVRAN-
DÆQVE PESTIS

METHODVM HANC OLIM HIC DISPVTATAM

NVNC DENVO RECVSAM

PRO SALVBRITATIS PVBLICÆ CVRA
SIBI COMMISSA

D. D. D.

AVCTOR

Subiecto hoc elogio tetrasticho:

Anglopolis stat, inexpugnabile munimentum,
Freta Deo Suecum Regem virtute repreßit.
Præsidium Martis stat, & artis perstat asylum,
Barbariem contra, contra quoscunque rebelles.

ARGV-



ARGVMENTVM.

PEstis auertendæ ratio sex doctrinis continetur. I. quidem est pestis cognitio. II. dignotio. III. Prænotio. IV. Præcautio. V. Curatio. VI. Præcauentium curantiumq́ remediorum apparatus.

COGNITIO.

THESIS I.

VOx pestis communiter & latè sumitur pro quolibet morbo pestilente, hoc est, corruptionem inferente. *a.* Propriè & angustè pro sola febri pestilente. *b.* Inde propter similitudinem transfertur ad res & homines exitiales, adeoque pro clade, exitio, pernicie vulgariter accipitur. Sic nauium exustio Maroni Pestis dicitur. *c.* A Cicerone proclamatur Catilina Reipub: pestis. *d.* Apud Liuium ibant vnius familiæ viribus (Fabij scilicet) Veienti Populo pestem minitantes. *e.* Rubiginem, maximam segetum pestem, nominat Plinius. *f.* In primo significatu hunc in modum à nobis definitur.

a. *Aristot. lib. 8. histor. animal. cap. 19. Item Suidas, Hesychius. Gal. in comment. in lib. 3. Epidem sect. 3.* b. *Gal. lib. 1. de differ. febr. cap. 4. Celsus lib. 3. c. 7.* c. *Virgil. lib. 5. Aeneid.* d. *Cicero pro Sylla.* e. *Liuius lib. 2.* f. *Plinius lib. 18. histor. nat. c. 17.*

II. Pestis est morbus popularis, contagiosus & perniciosus, è malgna putredine cordi repugnante natus.

III. Pestis à morbis alijs distinguitur popularitate, contagione, pernicie, quæ tria pesti tam euidenter insunt, vt demonstrationem nullam requirant. Sufficit ad comprobandum experientia sola, quasi mille testes.

 IV. Pestis

IV. Pestis est morbus popularis: quia singulas vrbes & regiones plerumq; depopulatur, *a.* & depascitur tanquam immanis bellua. *b.* Contagiosus: quia per contactum inficit. Perniciosus: quia plerosque quos afflat, necare solet, Basilisci instar. *c.*

a. *Lactantius lib. 2. de error. orig. cap. 11.* b. *Gal. de Theriaca ad Pison.* c. *Gal. in comment. in aph. 13. sect. 3. item in definit. medic.*

V. Pestilentiæ sedes primaria cor est, vel alia pars corporis, quæcunq; noxam suam cum corde communicare potest.

VI. Affectum cordis præcipuum declarat ipsius anxietas & dolor, obscuritas & inæqualitas pulsuum, syncope.

VII. Morbus exitiosus hominem non interimit, nisi vitale viscus tanquam exanime nouissimum, aut primariò conficiat, aut saltem per consensum afficiat. Ita venenum non enecat, nisi vitæ fontem venenet.

VIII. Causa morbi pestilentis est duplex: Quædam interior, quædam exterior. Interior est duplex; vna proxima, nempe putredo maligna, quæ cordi hostiliter aduersatur: altera longinquior, eademq; triplex; sanguinis copia, humorum prauitas, obstructio. Exterior quoque triplex: vitium aëris, victus deprauatus, contagio.

IX. Putredo corruptrix est quasi venenum putridum, qualis est lapis septicus, arsenicum, dryopteris, aconitum, & quæcunque putrefaciendo, colliquando lædunt.

Gal. lib. 5. simplic. fac. cap. 14.

X. Pestilens venenum non est propriè dictum venenum, sed quod venenis proportione respondet, quodque vel exiguâ mole vim medicamentorum lethalium & bestiarum virus æquat, nec sensu, nec ratione, sed experientiâ solâ percipitur, dum è funestis effectibus innotescit.

XI. Putrida malignitas, siue putredo maligna componitur è malignitate & putredine.

XII. Pernicies est labes, siue qualitas proprietati formæ naturalis contraria.

XIII. Putredo iuxta Gal. *a.* eſt via ad interitum, hoc eſt, inchoata corruptio: Secundum Ariſtot. *b.* corruptio vernaculi caloris per extraneum, in vnoquoque humido proueniens, hoc eſt, conſummata corruptio.

a. *Gal. lib.* 11. *m. m. cap.* 8. b. *Ariſtot. lib.* 4. *meteor. cap.* 1.

XIV. Antecedit malignam putredinem tanquam cauſa præparatrix, redundantia ſanguinis, qui humor facilius, quàm alius putreſcit.

XV. Concipit eandem labem affinitatis iure quiuis humor qualitate noxius, vt omnis maligni in malignius facilis eſt tranſitus.

XVI. Imò non excrementitius tantum, ſed alimentarius quoque humor aliquando viſceris alicuius vitio ſic corrumpitur, vt quaſi in venenum degeneret, *a* fiatque peſtis cauſa proxima, non minus quàm epilepſiæ, præfocationis hyſtericæ, ſyncopes, repentinæ mortis: quod concreti ſanguinis, corruptiue ſeminis, item canis, qui in ſuopte corpore rabiei cauſam gignit, exemplo confirmatur. Cibus nonnunquam in corpore vertitur in fel viperinum. *b.*

a. *Gal. lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 5. b. *Iob. cap.* 20.

XVII. Sed & obſtructio concluſis humoribus & cohibitâ perſpiratione mater eſt putredinis, *a.* adeoque ex obſtructione fit deſtructio. Sic in arcâ perdiu concluſæ veſtes computreſcunt. *b.*

a *Gal. lib.* 2. *de differ febr. c.* 11. b. *Horat. lib.* 2. *ſermon. ſatyr.* 3.

XVIII. Peſtis, quia communis eſt morbus, communem quoque cauſam habebit, qualis eſt aer, qui nos ambit, & ex quo ſpiritum ducimus, item eſculenta atque potulenta.

XIX. Aer vitiatur, vbi vehementer immutatur ipſius qualitas, aut propria forma p. n. corrumpitur & putreſcit, aut quoties ex inquinamenti permiſtione deprauatur.

XX. Immutatur qualitas inſigniter ab inſigni mutatione temporum & tempeſtatum, qualis eſt vehemens & continuus

 æſtus,

æstus, *a.* pluuiarum abundantia, *b.* squalor, *c.* frequens inæqualitas caloris & frigoris. *d.*

a *Liuius lib.* 5. b *Hippocrat. lib.* 3. *Epidem.* c. *Liuius lib.* 4. d, *Gal. lib.* 1. *de temperam.*

XXI Aeris natura propria corrumpitur & putrescit, quando fit ê salutari malignus, homini contrarius, aut quando non ventilatur, aut quando viget diuturna constitutio calida ac humida.

XXII. Aer infectus est, qui naturâ suâ corruptus non est, sed inquinamentum aliundè suscipit, hoc est, excretionem morbidam, *a.* quâ totus aer conspergitur.

a. *Hippocrat: lib. de natura humana.*

XXIII. Aeris inquinati causa teter est halitus è multitudine cadauerum, *a.* bipedum, quadrupedum, piscium, insectorum: exspirationes graues ex omnis generis spurcitie, è stagnis, è paludibus, ex inundationibus, *b.* ex aquis, in quibus maceratæ sunt pelles, linum, cannabis, è puteis & fontibus, quorum fundo limus adhæret fætidus, *c.* è terræ motibus, *d.* ê speluncis, ê fodinis metallicis, ex aperta voragine, *e.* ê fumis venenatorum globorum, *f.* quales ab hostibus in vrbes obsessas immittuntur, vnde pestis Ostendana fuit coorta, aliquando maligna aura per ventos ê longinquis regionibus inuehitur. In Apollinis templo Babylonico olim ex arcula aureâ quam perdiu reconditam & obseratam fortè miles inciderat, spiritus eripuisse pestilens, inde pestilentia subsecuta totum orbem terrarum afflixisse scribitur. *g.*

a. *Petrus Forest. lib. 6. obseruat. 9. in Schol.* b. *Lauren. Surius. Anno* 1556. c. *Horat. Augen. lib. 2. de peste cap. 2.* d. *Auentin. lib. 7. annal.* e. *Liuius lib. 7.* f. *Mercur. Gallobelgic. tomo 6. cap. 27.* g. *Auentin. lib. 2. annal.*

XXIV. Aer non tantum ab inferioribus, verum etiam à superioribus corporibus peruertitur, vt à maleficis siderum aspectibus & influxibus. Ita pestilentis vi sideris exercitum amisit Carthaginensium Dux, Amilco.

Iustin. lib. 19.

XXV. Sunt

XXV. Sunt quædam regiones naturâ pestilentes, vt Sardinia, cuius solum est fertile, cœlum insalubre.

Pompon. Mela lib. 2. de orbis situ.

XXVI. Victus deprauatus est alimentum corruptum, vt frumentum putridum, marcidum, rubigine vitiatum, corrosum à vermibus, animalium morbosorum, vel morticina caro, quælibet esca putrefacta, aquæ vitiatæ, vini mucidi, vappæ potus: vel incorruptum, quod tamen facilè corrumpitur, vt fructus nonnulli fugaces, quódue succos prauos gignit, vt fungorum esus. Præterea ciborum intempestiua sumptio, vel ordo præposterus, vt cum priore nondum confecto cibus alius ingeritur: vel cum duri concoctuque difficiles leuioribus præmittuntur, quorum infirma est materia.

Fernel. lib. 3. de febr. cap. 6.

XXVII. Pestis est comes famis, *a.* etiam satietatis pedissequa, quum succedit inopiæ victus copia. Interdum concurrentes pestis atque esuries inter sese certant, vtra maiorem stragem edat. *b.*

a. *Iustinus lib. 2.* b. *Liuius lib. 3. Hesiod. in oper.*

XXVIII. Pertinent huc medicamenta corrupta, situ rancida, vetustate exoleta, prauis alimentis deteriora.

XXIX. Sufficeret ad necandum malignitas naturalis, nisi malignior ars componeret vnguenta pestifera; de quibus tacere præstat, ne videamur arma malitiæ prauis hominibus prodere.

XXX. Contagio transitus est vitij in aliud corpus sanum, per contactum polluti corporis, à putrido lentoque effluuio profectus.

XXXI. Omnis contagio per contactum efficitur; siue corpus infectum contingatur, siue fomes contrectetur, siue halitus inspiretur, siue per occulta cutis spiracula ab extremarum arteriarum osculis attrahatur. Fit etiam per occursum eius, quocum vel familiæ, vel temperamenti similitudo quædam intercedit.

XXXII. Ef-

XXXII. Effluuium putridum est: quia putidum; viscidum: quia longo tempore conseruatur.

XXXIII. Seminarium, inquinamentum, sordities putrida, sobolem sibi similem gignit, vt quidem seminis est rem talem producere, qualis est ea, à quâ semen est procreatum.

XXXIV. Seminarij huiusce fomes exterior est aer, aqua, cibus, potus, vestis, supellex, habitatio corporum infectorum, res quælibet rara, laxa.

XXXV. Inter animi motiones omnes nulla plus confert ad pestem contrahendam, quàm metus, siue fortis apprehensio terrore concitata. Tanta namque vis est improbi metus, vt aliquando rem metuendam fortiter apprehensam ipse metuens anticipet & participet.

Thomas Fienus lib. de vi imagin.

XXXVI. Pestis immittitur aliquando diuinitus, *a.* vnde gladius Domini nominatur, *b.* aliquando citra medium, hoc est, citra vitium aeris, absque victus culpa, nullâ contagionis iniuriâ, sæpius tamen concurrentibus causis secundis. Ita scilicet aer ipse, qui in hoc datus est animantibus omnibus, vt aurâ salutari vitam conferat & alat, armatur in vindictam malorum, victus humanæ vitæ conseruator degenerat in venenum, conuictus homini proprius, bonorum auctor publicorum & priuatorum, dissipatur tanquam exitiosus.

a. *Moyses exod. cap. 9. Ezech. cap. 14. Liuius lib. 6. Iustinus lib. 32.* b. *Chronicor. sacror. lib. 1. cap. 21.*

XXXVII. Pestis est multiplex, ratione formæ, subiectæ materiæ, causæque effectricis.

XXXVIII. Ratione formæ pestis est multiformis, Protei siue Vertumni instar. Morbus Pestilens, vt est intemperies; est febris pestilens: vt structuræ vitium, tumor pestilens: vt continui solutio, vlcus pestilens

XXXIX. Ratione subiectæ materiæ, è qua coagmentatum est corpus, & veneni triplicis, triplex est pestis: vt est febris

bris pestilens: quædam ephemera, quæ Spiritus, quædam putrida, quæ humores, quædam hectica, quæ partes solidas malignè putrefacit, ita quidem, vt extremæ particulæ, velut aures, nares, digiti manuum, pedum, artus integri putrefacti decidant. *a.* Pestis, vt tumor est pestilens, quædam glandulas occupat, vt bubo: quædam cutim & carnem subditam, vt carbunculus: quædam alias partes interiores, à quibus proprium nomen sortitur tumoris species propria. Pestis, vt est vlcus, aut est internum, vt dysenteria pestilens, aut externum, ortum ex abscessuum pestilentium ruptione.

a. *Hippocrat. lib. 3. epidem sect. 3. Thucydides lib. 2. de bello Pelopon. Horat. Augen. lib. 1. de peste cap. 5.*

XL. Ad pestem tanquam morbum reducitur Symptoma, nempe maculæ pestilentes, quæ producuntur è biliosa tenuique sanguinis portione, sicut bubones è crassiore magisq; phlegmatica, carbunculi prodeunt ex humore feruidiore, quasi bile nigra adusta.

Gal. lib. 2. de differ. febr. cap 9.

XLI. Maculæ variant I. specie; quædam assimiles sunt vibicibus, quædam pulicum morsibus. II. colore; quædam rubræ, quædam pallidæ, quædam puniceæ, quædam virides, quædam nigræ. III. magnitudine: quædam latæ, quædam minutæ. IV. numero, modò plures, modò pauciores. V. tempore; quædam apparent in viuis corporibus, quædam in extinctis demum erumpere solent. VI. fine; quædam resoluuntur atque dissipantur, quædam retrocedunt.

XLII. Bubo mobilis est oblongus & teres initio, sed in parte media crassior, tanquam fusus filis obuolutus, demum acutus, nonnunquam duos, tres, quatuorue digitos latus, qui Zona, siue cingulum vocatur. Colore nunc rubeus, nunc fuscus, nunc virescens, nunc iridis æmulus. Carbunculus immobilis, figurâ rotundus & acutus, interdum latus, splendens instar picis, cum papula nigra, vel citra pustulam, in tumoris

ambitu, velut iris. pustula vel vna, vel plures, quales ab igne excitantur, quibus ruptis subest crustosum vlcus.

Gal. lib. diff. morb. cap. 12. Item lib. 14. m. m. cap. 10.

XLIII. Pestis, vt est popularis, contagiosa ac perniciosa, popularitatis, contagionis & perniciei maioris & minoris ratione distinguitur. Maximè popularis est, quæ populum inuadit promiscuè: minus popularis, quæ v.g. iuuenes tantum, aut grauidas solum prehendit. Ratione contagionis, quò maior est malignitas putredinis, eò contagiosior est pestis. vt aliud alio perniciosius est venenum: ita pestis quoque perniciosior, vbi maior est malignitas quàm putredo.

XLIV. Pestis etiam triplex est ratione externæ causæ triplicis: quædam aeris vitio, quædam victus prauitate, quædam contagione suscitatur.

DIGNOTIO.

XLV. Signa pestis dignoscendæ publica sunt plurimorum hominum præsertim vulgarium languor & interitus, longè lateque serpens contagio. Propria verò morbi pestilentis vulgariter sæuientis est aliorum morborum cessatio. Peste dominante cessant alij morbi, non secus ac Tyranno præsente cessat aliorum magistratuum imperium. Pestis obscurat alios morbos, vt vmbram diurnam solis defectio.

XLVI. Signa priuata iam præsentis & inuadentis pestis, tanquam ambigui morbi, sunt ambigua. Modus inuadendi non est vnus. Sæpè primo statim occursu veneno patet ingressus in cor: hinc inuadit repentè: nonnunquam intrat sensim & lentè, sic, vt ægrotus haudquaquam sibi videatur ægrescere. Aliquando febriculam aut inflammatiunculam simplicem pestis duplex subdolè ementitur.

XLVII. Signa pestis apertè iam aggredientis, est horror, æstus, virium defectio, cordis anxietas, inquies, & ingens symptomatum atrocium caterua.

XLVIII. Si-

XLVIII. Signa febris peſtilentis quædam ſunt communia reliquarum febrium, quæ deſumuntur ex pulſibus, vrinis, ſudoribus, alijs excrementis; è functionum læſione; quædam propria.

XLIX. Indicia propria febris peſtilentis præſertim putridæ, ſunt exanthemata ſiue ecthymata, hoc eſt, maculæ, bubones, & carbunculi peſtilentes.

L. Signa febris ephemeræ, maximè præceps virium lapſus, ſudor, doloris & tumoris abſentia.

LI. Argumenta hecticæ, ſubita macies totius corporis, membrorum reſolutiones in halitus & liquores; vnde ſudores, vrinæ, ventris fluxus, carnium putredines, oſsium nudationes, mutilationes artuum, prolapſus membrorum extremorum.

Gal. lib. 1. de temperam.

LII. Tumores & vlcera aut oculis patent, aut ſi latent, deprehenduntur è ſuæ partis dolore, excrementis, læſa actione.

LIII. Signa affecti cordis, mutatio pulſus, palpitatio, ſyncope.

LIV. Signa aliarum partium affectarum è proprijs Galeni libris de locis affect. ſunt petenda.

LV. Signum malignæ putredinis eſt præſens exitium, inſignis virium læſio.

LVI. Signa plethoræ, cacochymiæ, viſcerum infarctorum, paſsim à medicis exponuntur.

LVII. Signa cauſarum externarum patent è cauſis earum indicatis & antegreſſis, item è ſequentibus illarum effectibus.

LVIII. Signa aeris corrupti, inſolita auium migratio, tam hominum quàm pecudum inuaſio, tam purorum quàm impurorum corporum infectio. Signa aquæ corruptæ, fætor & ſapor alienus, craſſities turbida, piſcium ibi degentium, animalium potantium interitus, vel languor. Signa terræ corruptæ, lues animalium quadrupedum paſcentium, beſtiarum

è proprijs cauernis egreſſio paſsim errabunda, terræ fructus inſalubres.

LIX. Signa deprauati victus colliguntur ex annonæ caritate, nonnunquam è gulæ luxuria.

LX. Suſpicio contagionis oritur, vbi nec aer, nec victus eſt accuſandus, ſed rei contagioſæ propinquitas.

PRÆNOTIO.

LXI. Signa quæ valent ad prænoſcendum, ſunt duplicia, quædam ſunt peſtis impendentis ac præcauendæ, quædam præſentis & curandæ præſagia.

LXII. Signa futuræ peſtis capiuntur ab opportunitate corporum, temporum, & locorum.

LXIII. Corpus ad peſtem concipiendam eſt idoneum, vel ob temperamentum, vel ob id, quod temperamentum conſequitur, vel ob aliarum cauſarum præſentiam.

LXIV. Corpus calidum & humidum eſt maximè præparatum, minus procliue calidum & ſiccum, deinde frigidum & humidum, poſtremò frigidum & ſiccum.

LXV. Corpus rarum cauſis externis facilè cedit, internis reſiſtit: denſum contrà.

LXVI. Corpus ſuccorum bonitate grauatum ſupra vires, aut ſuccis prauis ſcatens, promptius eſt, quàm moderatum & purum. Muliebre, quàm virile. In muliebri ſexu grauidæ periclitantur magis quàm expeditæ: minus, quæ repurgantur ſingulis menſibus, quàm cæteræ. Inter ætates corpus iuuenile magis eſt obnoxium, quàm ſenile. Corpus gulæ deditum, quàm abſtinentiâ præditum. Corpus libidine eneruatum, quàm continentiâ roboratum. Corpus quomodocunque debile, quàm natura vel arte firmum. Corpus quod vehementibus animi motibus perturbatur, quàm his vacuum & liberum, tranquillum & quietum; corpus quod immundè victitat, quàm quod mundè: quod contagionis occaſioni patet, quàm quod inde eſt remotum. LXVII. Ar-

LXVII. Arthritici, item ſcabioſi, vel vlceroſi ſunt à peſte tutiores.

LXVIII. Ad cauſarum præſentiam, quæ peſtem minantur, pertinet meteororum igneorum multitudo prodigioſa, caniculæ exortus obſcurior, *a* ſolis deliquia, certa ſiderum permiſtio, qualis ab Aſtrologis obſeruatur, tempeſtates præpoſteræ, diuturna ventorum ſilentia, animalium ex putredine naſcentium, vt muſcarum, papilionum, ſcarabæorum murium, ranarum & limacum copia.

a. *Cic. lib.* I. *de diuinat.*

LXIX. Ad temporis opportunitatem quod ſpectat, peſtis offendit æſtate & autumno magis, quam alijs temporibus, magis affligit humido quam ſicco, calido quam frigido tempore: conſtitutione ſimiliter auſtrina, quàm aquilonia, cœli inęqualitate & intemperie, quàm æqualitate & temperie; maximè ſæuit media nocte & meridie.

LXX. In aere craſſo pertinacior eſt peſtis, in tenui ſæuior. In regione feruidiſsima ac gelidiſsima minus furit, in locis immundis & fætidis vehementius debacchatur. In locis maritimis auſtro obiectis, quàm in mediterraneis, in vallibus, quàm in montibus. Si peſtis oritur à cauſis cœleſtibus, loca montana ſunt magis peſtifera, quàm campeſtria: Contra ſi prouenit ab inferioribus corporibus. Si diuinitus aduenit, nulla habetur ratio corporum, temporum & locorum, niſi quę corpora, quæ loca defenſa, quæ tempora definita velit diuina clementia.

LXXI. Ducitur coniectura minimè vana peſtis imminentis, à crebris abortibus, à variolarum & morbillorum frequentia, à puerorum ſepulchra fodientium, funera procurantium luſibus, à feralibus auibus, vt bubonibus, qui cadaueribus delectantur, eaque præſentiunt. Atqui morituri homines à mortuis parùm diſtare videntur.

LXXII. Pestis diuinitus inferenda propter scelera hominum punienda, à diuinis vatibus prædicitur.

Moyses exod. cap. 11. *lib.* 2. *reg. cap.* 24.

LXXIII. Pestis curandæ præsagia à duello naturæ & morbi deducuntur.

LXXIV. Morbus est quouis venefico occultior, quouis sicario crudelior, salutem à fronte præferens, mortem à tergo circumferens. In principio vix agnoscitur, agnitus occultatur, tanquam dedecus, tanquam pœna, quam sontes luunt ob commissa piacula.

Libanius in apolog. Achillis.

LXXV. Arma hostis sunt venenata tela: Cordis verò, sanguis & Spiritus promptior, quàm valentior, & artis remedia non tam propria, quàm communia tantum ad quoduis venenum obtundendum.

LXXVI. Pestis causa, quia nullis sensibus obuia, difficulter mente percipitur, ægrius verbis explicatur, ægerrimè remedijs expugnatur.

LXXVII. Vulneratis Græcis in bello Troiano Machaones non defuerunt. Peste correptis, qui medicinam adhibere fuisset ausus, apud Homerum nullius AEsculapij fit mentio.

Homer. lib. 1. *Iliad.*

LXXVIII. Etsi Deus sibi soli reseruasse videtur remedium contra pestem, vt opinatur Ioannes Crato, *a.* trium Imperatorum Archiatrus: tamen à philanthopia diuina alienum non est, medicamentum producere, quod pestem sanet.

a. *Laurent. Scholz. consil.* 271.

LXXIX. Si venenum est veneno contrarium, vt post Galen. Hieronymus Cardanus luculenter probauit, cur veneno pestilenti nihil est contrarium? Si veneno pestilenti contrarium est conditum, cur mortalibus, quorum intererat maximè nosse, est absconditum? quasi verò non omnia fiant ex contrarijs per contraria, cognito contrariorum vno, non etiam alterum cognoscatur.

LXXX. Na-

LXXX. Naturam morborum curatricem, ſui tutatricem præpotentem, & artem ipſius æmulatricem ingenioſam, ſummè neceſſario peſtis remedio deficere, veriſimile non eſt.

LXXXI. Peſtem ab Attica abegiſſe celebratur Hippocratis induſtria, dum ex Aethiopiâ delatum halitum peſtiferum, ignibus paſſim accenſis abſumpſit auertitque.

Soranus in vita Hippocr. Athenienſium decretum. Plin. lib. 36. cap. 27. Gal. lib. de theriac. ad Piſon.

LXXXII. Peſtis ephemera, hominem aut citiſſimè tollit, aut citiſſimè tollitur.

LXXXIII. Putrida facilius curatur, quam Hectica.

LXXXIV. Si febris peſtilens ſalubriter iudicatur, quod tamen eſt rariſſimum, niſi iuuetur arte, cum ſit morbus extremè peracutus, malæ conſtitutionis & iudicij difficilis, terminatur aut per excretionem, vt ſudorem, vt hæmorrhagiam, aut per abſceſſum, vt bubonem vel carbunculum, aut per criſin vtramque; ſi tamen præceſſerit coctio, ſi victa ſit malignitas, & morbi leuamen ſequatur: Sin minus, victæ potius quam victricis naturæ hoc eſt ſignum.

LXXXV. Maculas, bubones, & carbunculos quàm primum erumpere, poſt coctionem & correctionem tamen materiæ, bonum: repentè euaneſcere, malum.

LXXXVI. Maculæ poſt bubonem aut carbunculum erumpentes, lethiferæ.

LXXXVII. Bubo febrim anteuertens, mitiorem morbum prænunciat.

Iulianus Palmar. lib. de febr. peſtilent cap. 25.

LXXXVIII. Bubo licet febrim ſubſequatur, die critico tamen exortus, nihil portendit mali.

LXXXIX. Carbunculi ſunt deteriores bubonibus.

Petrus Foreſt. lib. 6. de febr. peſt. obſer. 12. in ſcholijs.

XC. Proximus cordis regioni carbunculus, malum.

XCI. Aluus adſtricta peſtis initio ſanationem faciliorem promittit, laxior, exitium minatur.

XCII. Pe-

XCII. Signis bonis, non fidendum semper, nec malis semper diffidendum.

XCIII. Sæpè conflictu grauissimorum symptomatum euadit æger, vt quando maior est putredo, quam malignitas.

XCIV. Sæpè morbi status mutatur in contrarium, vt quando materia noxia à loco nobili transfertur ad ignobilem, vel ab ignobili contrà ad nobilem subitò transmouetur.

XCV. Peste correptus, quamuis emergat viuus, tamen vix emergit integer, sed aliqua parte læsus aut debilis.

XCVI. Præmonet Hippocrat. vnicuique Medico diligenter attendendum esse, num morbis diuinum quid insit, hoc est, magnum, admirabile, reconditum, nullo sensu comprehensum, vt in eis curandis artificem eximium se præstet. Tale quid in peste notatur.

Hipp. lib. 2. prædict. Fernel. lib. 2. de abdit. rerum caus. cap. 10.

PRÆCAVTIO.

XCVII. Pestiferæ luis notio, dignotio, prænotio, nihil valent, nisi sequatur, tum appropinquantis præcautio, tum irrepentis curatio.

XCVIII. Præcautio quidem est causarum obiectarum à subiectis corporibus amotio, exceptâ causâ continente, quam summouendam sibi vendicat curatio.

XCIX. Ratione subiectorum corporum duplex est præcautio: quædam publica, quæ spectat ad ciuitatem & regionem vniuersam, quædam priuata, quæ dirigitur ad singulos ciues tuendos.

C. Ratione causarum obiectarum quoque duplex est præcautio, quædam interiorum, quædam exteriorum ablatio.

CI. Interiorum causarum amolitio quibus remedijs comparetur, neminem Medicorum latet.

CII. Causarum trium externarum vnaquæque correctionem aut declinationem poscit.

CIII. In

CIII. In vniuersum causæ præciduntur, si procuretur, vt corpus superfluis humoribus quam maximè vacet, optimeq; spiret; si prouideatur, vt corpori suppetat aeris & alimentorum salubritas, & cor præmunitum roboretur ad obsistendum iniurijs pestiferis.

Gal. 1 de diff. febr. cap. 4.

CVRATIO.

CIV. Indicatio Curandæ Pestis est triplex. I. à specie morbi. II. à sede morbi. III. à causa morbi proxima desumitur.

CV. Pestis vt est morbus pupularis, contagiosus & perniciosus, nihil indicat vtile, quod arti seruiat.

CVI. Pestis vt cor aggreditur, requirit cordis munimentum & præsidium, quod ita cum corde consentiat, vt à corde dissentit venenatus halitus, hoc est, poscit firmamentum, quo cor ipsum adeò roboretur, vt præpotenti causæ fortiter resistat, quod adstringendi facultate præditum, inter venenum & cor sese quasi interponat, ne malum irruens ad penetralia cordis perueniat.

CVII. Pestis vt à malignitate putredinis tanquam à causa duplice excitatur, duplex remedium desiderat. Malignitas quidem antidotum, quod habeat vim efficiendi contrarium, hoc est, quod occultæ perniciei insito quodam odio, tacitâq; discordiâ repugnet. Putredo, quæ fit ab extraneo calore & humore exuperante, refrigerans & siccans, tanquam corrigens postulat; quâ correctione materia putrescens ad naturam pristinam reducitur. Putredo facta, cum materia putrefacta iam non amplius beneficio coctionis naturalis ad integritatem redire possit, remedium euacuans flagitat.

Gal. comm. in aph. 17. sect. 2.

CVIII. Antidotum ita debet esse comparatum, vt similitudine cognatum venenum attrahat, attractum dissimilitudine reddat irritum, aut exterminet, absorbendo, per sudorem halitumuè penitus foras expellendo, aut propellendo

ſaltem à viſceribus ad glandulas, parteſué exteriores, vt inde facilior euadat curatio.

CIX. Antidotum peſtis ſecretâ facultate efficax, nullo ſenſu, nullâ ratione, ſed experientiâ ſolâ iudicio fultâ, à Medicis inuenitur; inuentum tamen certa ratione & methodo legitimâ applicatur.

CX. Peſtis vt eſt febris, remedium indicat refrigerans, ſiccans magis, quàm humectans, ne humectando febrilis augeatur putrilago.

CXI. Peſtis vt eſt tumor, aut vlcus, indicat idem, quod ſimplex tumor, aut vlcus, præterquam quod viroſa materia repelli nolit, ſed attrahi, radicitus extirpari; demum plaga ſordida mundari, caua repleri, hiulca cicatrice contractâ claudi poſcat.

CXII. Peſtis vt habet adiuncta ſymptomata grauiſſima, ſymptomatum lenitionem exigit.

REMEDIORVM APPARATVS.

CXIII. Materia remediorum inſinuatorum ad prohibendam & depellendam peſtem depromitur è Chirurgia, Pharmacia, Diæta.

CXIV. Prætermiſsâ remediorum eorum, quæ cauſas internas, vt plethoram, cacochymiam, obſtructionem, tollunt, materiâ tanquam notiſſimâ, ad eorum, quæ externas auferunt, deſignationem eſt accedendum.

CXV. Aerem vitioſum corrigit, quidquid ſiccitate putredinem impedit, & odore grato ſpiritus recreat, vt ignis, odoramenta, ſuffimenta, alexipharmaca, quorum copiam proferre ex autoribus, eſt in ſyluam ligna ferre.

CXVI. Ad perpurgandum aerem nonnihil facit tormentorum bellicorum frequens diſploſio.

CXVII. Aquæ corruptæ ſunt exiccandæ, vel aliò deriuandæ. Aquæ rebus fætidis macerandis neceſſariæ, ſint procul ab vrbe.

CXVIII. Si locus ſepulturæ plenus eſt cadauerum, ne peſtis inde reſurgat, obruendus eſt terrâ, conſpergendus ſemine graminis. Ita herbis deinde excreſcentibus obturantur ſpiracula, ne peſtis ſuppullulet.

CXIX. Habitationes eligendæ, quæ verſus ſeptentrionem vel orientem ſpectant. Aeris parum eſt attrahendum. Omnis exercitatio, quæ crebram inſpirationem efficiat, cauenda. Neque fames, neque ſitis ferenda. Omnis vehemens animi motus abeſto.

CXX. Munditia ciuitatis, alimentorum in ſalubrium abdicatio, ſalubrium prouiſio, contagionis vitatio publica, à procuratoribus ſanitatis ordinatur.

Caſpar Contarenus lib. 4, de Venetor. Repub.

CXXI. Seminarium peſtis igne conſumitur, gelidoué extinguitur aere, fumo vel aquis ſuffocatur, lixiuio quoque eluitur, ventis Aquilonijs expoſitum diſcutitur, etiam contumulatur. Si quod inhæret parietibus conclauium, non alienum erit, calcem abradere, & cruſtam nouam inducere.

CXXII. Amuletis collo geſtandis ex Arſenico, hydrargyro, bufonis puluere, fidendum non eſt. Tutius cauterijs fiditur.

Petrus Paulus Magni Placentin: lib. de cauterijs.. cap. 9.

CXXIII. Si fugiendum ſit, ad loca montana confugiendum, aut illuc vnde peſtis demigrauit. Sunt loca quædam, vbi peſtilentia nunquam fuit, vt Locris & Crotone. *a.* Brabantia quoque non inficitur peſte, licet peſtis in regionibus vicinis ſæuiat *b.*

a. *Plin. lib. 2. hiſt. nat. cap. 96.* b. *Abrahamus Ortelius in Theatro orb. terr.*

CXXIV. Numinis diuini placamentum, tanquam remedium primarium, à ſacerdotibus promulgatur.

CXXV. Hebræi peſtilentiâ affecti Deum placare ſolebant extructis aris & ſacrificijs oblatis; quaſi capitales hominum noxas mactatio victimarum expiaret.

Regum. 2. lib. cap. 24.

CXXVI. Græci monebantur à Calchante vate, vt quia peccatum regium erat cauſa peſtis, non dimittendum, niſi reſtitueretur ablatum, ideò rex Agamemnon Apollinis Sacerdoti Chryſæ raptam Chryſeidem filiam gratuitò redderet, vnâ cum hecatombe perſoluendâ.

Homer. lib. 1. Iliad.

CXXVII. Romani veteres, quandoquidem iram humanam cibo molliri, ſomno mitigari nôrant, idcircò Deos iratos lectiſternijs adornatis, epulis appoſitis, ſimiliter reconciliari ſibi perſuadebant.

Liuius lib. 5. & 7.

CXXVIII. Chriſtiani gregatim concurrebant ad publicas rogationes & ſupplicia, vitam flagitioſam emendabant, vota nuncupabant: quaſi nihil efficacius ad peſtem auertendam eſſet, conſentientis Eccleſiæ precibus humillimis; quaſi pietas & beneficentia acceptiſsimæ victimæ haberentur ad Deum propitiandum.

Platina in vita Clementis VI.

CXXIX. Materia auxiliorum cardiacorum partim ex alimentis, partim ex medicamentis conſtat.

CXXX. Medicamenta cordi dicata, quædam ſunt calida, quædam frigida, quædam temperata: quædam ſimplicia, quædam compoſita: quædam ſumenda, quædam admouenda, non tantùm curandi, ſed præcauendi quoque gratia.

CXXXI. Simplicia calida ſunt, meliſſa, dictamnus, pentaphyllum, carduus benedictus, baccæ lauri, cinnamomum, caryophyllum, lignum aloes, cortex mali citrij, crocus, moſchus, ambarum.

CXXXII. Frigida verò, oſsiculum è corde cerui, vel ipſum cornu cerui, ebur, margaritæ, ſapphyrus, hyacinthus, Smaragdus, coralium, ſuccinum; aurum temperatum.

CXXXIII. Compoſita ſunt, vt ſyrupus è cortice vel ſucco mali citrij, Syr. è cinnam. Confect. Alkermes, pulueres,

res, epithemata, linimenta, ſacculi pro corde & pulſibus.

CXXXIV. Antidota peſtis communia ſunt, quæcunque venenum quodlibet à corde depellere valent, vt angelica, zedoaria, ruta, malum citrium, bolus Armena, terra ſigillata, lapis bezoar. Compoſita, Mithridatium, Theriaca, puluis Saxonicus, Pannonicus.

CXXXV. Propria cenſentur ſcordium & caphura, atque ex his compoſita, antidotus ê ſcordio Fracaſtorij, ê caphura Kegleri, item ex ouo, croco, myrrha, cæteriſque, quibus etiam caphura admiſcetur.

CXXXVI. Compoſia ſunt efficaciora atque probatiora, quam ſimplicia.

CXXXVII. Iudicij ſolertis eſt, optima quæque ex abundantia cumulatiſsima ſeligere, & ad vſum rectum adiungere.

CXXXVIII. Materia curandæ peſtis, vt febris, Chirurgica, refrigerans, putredinem corrigens, euacuans, eſt venæ ſectio, quæ locum habet in febre putrida, ſi tamen redundet ſanguis, & vires ſinant, & dolor adſit. *a.* Bubones certè & carbunculi peſtilentes, & recentes, ſine venâ ſectâ curari vix poſſunt. *b.* Sanguinis quoque miſſionem ſuadet eiuſdem vacuatio conſueta, ſed cohibita præter morem. Prohibet venæ ſectionem peſtilens aeris ſtatus, æſtas, hyems, regio calidior aut frigidior, ſanguinis fluxus, vomitus immoderatus, alui profluuium & alia plura.

a. *Celſ. lib. 3. cap. 7.* b. *Adamus Lonicerus Medic. Francofurt.*

CXXXIX. Maculis peſtiferis ſcarificatio conuenit, item Cantharides.

CXL. Ad bubones ſanandos conferunt ea, quæ venenum fortiter extrahunt, vt lapis ſepticus, flammula, ranunculus, theriaca cæpis incocta, adipe procino ſubacta, panis adhuc calens, animalis recens mactati pulmo, gallina, vel columba. Bufo ſiccatus, non tumori, ſed infra tumorem ſpatio quatuor digitorum impoſitus. Diſcutit ac reſoluit bubones

 fotus

fotus è malua, scabiosa, ruta, chamæmelo, sem: fænigræci, lini, croco. Aperit, rumpit scalpellum, vel cauterium. Ad suppurandum valet vnguentum basilicum, emplastrum diachylon, cum oleo Scorpionis, cui nihilo minus cataplasma molliens imponendum. Vnguentum è melle rosaceo, terebinthina, vitello oui, farina hordei. Ad vlcus mundandum proficit vnguentum fuscum, apostolic. Ægyptiac. vel iufusio per syringem, vel ablutio ex aloe, sale, melle, succo chelidonij vel scordij. Ad consolidandum sufficit emplastrum album coctum.

CXLI. In carbunculis præter medicamenta bubonibus apta, nisi quod discutientia minus conueniant, locum etiam habent cucurbitulæ scarificatæ, vel inustio, vel cantharides. Partes vicinæ dolentes illinendæ sunt vnguento populeo, ê caphura, vel oleo rosac. cum Armena bolo muniendæ. Bulla rumpitur emplastro basilico, vel forcipe secatur. Ad maturandum & aperiendum commendatur theriaca, mel rosaceum, fermentum, columbarum fimus, ficus. Tres cucurbitulæ proximè carbunculum deorsum rectâ lineâ affigendæ. Tertia longius distans manè & interdiu repetenda sæpius: vesperi illius loco medicamentum imponendum, quod vesicam excitet, quæ dirupta saniem venenatam profundat, vlcusque relinquat, cui brassicæ folium imponendum, quò continenter ichoribus diffluat.

Iulianus Palmarius lib. de febr. pestil. cap. 27. Pertinet huc fasciculus medicamentorum contra pestem à Daniele Sennerto, Professore Medico VVittebergense, concinnatus.

CXLII. Pharmaciæ & Chirurgiæ respondeat oportet diæta.

CXLIII. Aer cubiculi, non apertus, sed conclusus esto, tepidus, qui corporis spiracula laxa ac patentia seruet, quo labes perniciosa vel per sudorem, vel per occultam perspirationem exhalare possit; Odoratus, vt reficiendis spiritibus inseruiat.

uiat. Aestiuo tempore cubiculum herbis subfrigidis temperandum, aspersionibus irrigandum.

CXLIV. Cibus, iuscula carnium, oua sorbilia, ptisana, mala cocta, fercula congelata, contusa, consummata, aromata cardiaca, alimenta medicata, cardiacis condita pulueribus, quibus aceti vel acidi succi nonnihil admiscendum, cùm appetitus excitandi, tùm putredinis coercendæ gratia.

Rhases lib. 4. ad Mansorem. cap. 25.

CXLV. Ad cibum æger est compellendus; si minus argumenti subtilitate permouetur, quod veneni malignitas alimenti benignitate mitigetur, vt quidem corpori ieiuno, quàm pasto nocentius est toxicum, *a.* at precibus & hortamentis blandis alliciendus, etiam comminatione mortis pertrahendus.

a. *Celsus lib. 5. c. 27.*

CXLVI. Vinum est idem febri, quod oleum flammæ, veneni pestilentis vehiculum ad cor; excepto vino cydonio, malorum Punicorum, citriorum & vinosorum. Aqua cocta, adiecto cornu ceruino, præter aromata, vel cruda liquore conueniente temperata, potui detur.

CXLVII. Somnus in principio morbi, ne virus inter dormiendum ad cor deferatur, non est admittendus.

CXLVIII. Vigilantia, motus & agitatio totius corporis, etiam cursus, si vires suppetunt, præsumpto tamen antidoto, mirum, quantum exuscitent facultatem expultricem ad virus discutiendum atque excutiendum; quo peracto, secura requies iuuabit.

CXLIX. Molienda noxæ foras eruptio, teter halitus per os & nares validè expirandus, mox aer igne expurgatus, aut odoratus vapor, est inspirandus.

CL. Metus & tristitia vires maximè deijciunt, quibus prostratis, insultat victrix superba, pestis. Opponatur his spes euadendi, in autorem vitæ Deum, erga Medicum valetudinis patro-

patronum, animoſa fiducia, hilaritas ſinceritate conſcientiæ ſerena, ſpirituum recreatrix, ſanguinis vegeti procreatrix, cordis ad intrepidè reluctandum, feliciterque eluctandum, auxiliatrix. Atque hæc paucula de peſtis origine & medela, ad maiorem Supremi Medici gloriam, & ad proximi ſalutem, elucubrata ſunto.



Hanc Methodum præcauendæ curandæque peſtis olim in noſtra Academia diſputatam, & nunc ab Auctore recognitam iudico digniſſimam, quæ denuo typis ſubijciatur; quòd non ſolùm nihil Fidei orthodoxæ, nihil bonis moribus contineat aduerſum, verùm etiam hoc tempore admodum vtilis Reip. futura videatur.

GEORGIVS LYPRANDVS Societatis IESV, SS. Theol. Profeſſor ordinarius & pto tempore Decanus.



Methodus hæc præcauendæ curandæq; peſtis bono ordine conſcripta eſt, ac doctè & eruditè olim diſputata in hac Academia, quare iure meretur, vt denuò in lucem prodeat.

ANTHONIVS IONAS KILIANSTEIN Phil. & Med. Doctor & Profeſſor Ordinarius eiuſqemque Facult. pro tempore Decanus & Vniuerſitatis Rector.



EPIGRAMMA

Ad

WOLFGANGVM HOE-VERVM M.


Effera pestiferi tradis medicamina morbi,
Et breuiter tanti semina prima mali:
Vnde venenatas iaculetur Apollo sagittas,
Et subitis repleat compita funeribus;
Agricolis terras, denudet ciuibus vrbes,
Quæque luem pellant, quâque leuetur ope.
Sic te posteritas merito dignetur honore,
Et sua præclarum fama sequatur opus.

NICOLAVS BVRGVNDIVS I. C.
& Professor Cod. Ordinarius.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΙΟΝ ΗΡΩΙΚΟΝ
ΕΙΣ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑΤΙΟΝ
ΠΕΡΙ ΣΥΣΤΑΣΕΩΣ ΛΟΙΜΙΚΗΣ.

Theocrit. Idyll. 11. Ὡς μάλα μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται,
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα,
νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, αἳ δ' ἐπὶ νυκτὶ
αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.
σκήψας δ' ἔχθιστος πτολιέθρων πυκνὰ ἐλαύνει
λοιμὸς, καὶ πολλοῖς προσενέγκατο νηλεὲς ἦμαρ.
Hom. Iliad. lib. 1. πολλὰς τ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων. αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
οἰωνοῖσί τε πᾶσι. θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή
σφόδρα κολάζοντος μερόπων τάγε σχέτλια ἔργα.
αὐτὰρ ἐπεί σε μέγας θεὸς ἡμῖν δῶκεν, Ευβηρε,
Idem ibid. βουλόμενος λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι,
οὐκ ἔτι δὴ χαλεπὸν θνητοὶ φοβεούμεθα λοιγόν.
καὶ γὰρ κωλύεις μέλλον, τὸ παρόν τε ἀμύνεις
πῆμα. παλαιὰ ἔτη τοῖον εἴ ποτε φῶτ' ἂν ἔθρεψεν,
οὐ τόσσους θανάτου τὸ μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.
τοίνυν σεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
σμικρὸν συλλέξει ψυχάων μοῖρα θερισμόν.
ὡς πάνυ ἐργοῦς θανέειν ἄρα, ζῆσον ἀειγενὲς ἦμαρ.

IOANNES HVEBER. SS. Theol. Licen.
& ad D. Virginem antiquitus speciosam nuncupatam Parochus.



EPIGRAMMA IN METHODVM PRAECAVENDÆ CVRANDÆQVE PESTIS.

Horrida cum sæuis Bellona refringeret armis
Boiariam, vicos sterneret atq; viros.
Tristia fata nimis! subitò subrepsit egestas,
Annonæ pretium, mox truculenta fames:
Sæpius insolitas miseris cum præbuit escas,
Quid nisi pestiferam protulit illa luem?
Quæ tanto medicina malo est! vbi Delius alter
Inquirendus erit, qui modò præstet opem?
En Hæuerus adest, communis amore salutis.
Morborum nobis exagitator adest.
Fortibus antidotis expellere pestile virus,
Bubones, Prunas, arte fugare docet.

Accinuit

Debitæ obseruantiæ ergò Professori suo Discipulus,

Marquardus Menzelius ab Oberbachern, Medicinæ Studiosus.